



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Tvrriani Societatis Iesv, Defensio Locorum S.  
Scriptvrae. De Ecclesia Catholica, Et Eivs Pastore  
Episcopo Romano, B. Petri, principis Apostolorum  
successore, libri duo. Aduersus nugatorias ...**

**Torres, Francisco de  
Coloniae Agrippinae, 1580**

**VD16 ZV 18729**

Capvt V.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-33634**

illoceris, quas dicis, & de nescio quibus alijs, qua te dicis libentem pratermittere, quia mera dicacitas, & maledicentia est, ex odio in sedem Apostolicam profecta, nihil est respondendum. Veniet dies, quando tu, qui contra verbum

Quomodo  
Antonius  
non solum  
alienū ser-  
uum contra  
verbum Do-  
mini iudi-  
cat, sed sum-  
mum Chri-  
sti ministru,  
indicandus  
ipse in die  
Domini.  
Locus Za-  
chariae de  
Christo cō-  
tra Iudaeos,  
& Iudaizan-  
tes.  
Locus Za-  
chariae de  
regno Chri-  
sti in Eccle-  
sia visibili  
per cūctum  
orbem di-  
ata.

Domini non solum alienum seruum, sed summum Christi ministrum iudicas, iudicaberis, tamen si hanc etiam rem explorare poteris, sicut de fastu, quem finxisti, dixi. Veni Romam, & videbis, si volueris, quam delicata sit mensa Pontificis, & quam opiparè, & pontificiè prandeat, & cœnet, ut Boquimus Viturigenus Zuinglianus, cui nuper respondi, obijciebat, qui magis mimographus, quam Theologus mihi videtur, tui simillimus. Non dissimulabo hic quod ad accusationem splendoris pontificij adiunxisti locum Zachariae, comparans humilitatem Christi, veri regis cum splendore Pontificis in regno Christi, quod negas visibile esse: & quia de Christo fateris accipiendum esse, quod Propheeta dixit, ecce rex tuus venit tibi iustus, & saluator ipse pauper, & ascendens supra pullum asinae, & quidem rectè, sicut Evangelista nobis interpretatus est contra Theodorum Mopsuestia, & Iudaeos & Iudaizantes, qui de Zorobabele accipiunt, consequens est, ut quod statim sequitur, de regno Christi visibili accipiendum esse fatearis, & disperdam quadrigam ex Ephraim, & equum de Hierusalem, & dissipabuntur arcus belli, & loquetur pacem gentibus, & potestas eius à mari vsq; ad mare, & à fluminibus vsque ad fines terrae. Si hoc regnum Christi, de quo hic propheta Zacharias, non est visibile, quorsum attingebat fines, & limites describere? aut si limites, & fines videri possunt, quomodo quod ipsis limitibus circumscriptum est, non est visibile? Simile est illud quod legimus, postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam; & possessionem tuam terminos terrae. In septuagesimo quoq; primo Psalmo sub persona Salomonis, & dominabitur, inquit, à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terra terminos.

## CAPVT V.

**A**diungis deinceps duas quas vocas, ἀντιφάσεις plenas impietate & blasphemia. Sic enim ait; Itaque superioribus omnibus erroribus hanc certissimam veritatem opponamus, hoc est noui testamenti proprium, ut contineat expressam imaginem earum rerum, quae in caelis sunt (affirmante Turriano) atqui tantum abest, ut regnum pontificium sit imago expressa regni Christi, ut potius sit illi planè contrarium, quandoquidem regnum Christi caeleste, & spirituale est; regnum autem pontificium terrenum est, ergo regnum pontificium ad nouum testamentum, & ad eas res, quae in caelo sunt, non pertinet. Aduertite Confessionista, quemadmodum vester patronus semper vos verbo regni Pontificij, quo insidiosè vitur, decipit.

Sed, vt

sed, vt eū Socraticis interrogationibus ex insidijs istis extrudamus, percunctemur: cum dicis Antoni regnum Christi, caeleste, & spirituale esse, loqueris ne de regno Christi, quod est in calo, an de regno Christi in terra? Credo, respondabis de regno Christi in terra, de hoc enim disceptamus, de quo Apostolus in epist. ad Corimb. scripsit, oportere illum regnare, donec ponat inimicos suos sub pedibus eius, vt tu etiā paulo antè confessus es; inimicos autem non habet Christus in calo, sed in terra. Percunctemur rursus, est ne hoc regnum Christi in terra, quod Deus pater promisit Christo suo de semine Dauid à mari vsq; ad mare, & à fluminibus vsq; ad sinem terra, in quod transtulit regnum Dauid terrenum, quod illi Deus perpetuandum esse promiserat? & hoc etiā dabis, ne promissiones Dei irritas facias. Si rursus adhuc à te queram, hoc regnum Christi in terra, est ne ecclesia ipsa catholica per cunctum orbem diffusa, in qua predicatum, & auditum, & creditum est euangelium, sicut scriptum est de sanctis Apostolis, in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum? & ascensus Christus in caelum, accipietis, inquit, virtutem spiritus S. in vos, & eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudaea, & Samaria, & vsq; ad vltimum terra? & quomodo hoc dubitari potest, cum ecclesia tantum sit, in qua Christus regnū suum habet, quia in ea tantum agnoscitur, laudatur, & colitur, & in ea tantum est vera iustitia, pax, & gaudium spiritus S. & salus cum nouo testamento ei data? sicut scriptum est in Esaia, quod Paulus interpretatus nobis est, veniet ex Sion, qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob, et hoc illis à me testamentum, cum abstulero peccata eorum: & Dauid, Propter consistebor tibi in gentibus Domine, & nomini tuo cātabo, & iterū, latamini gentes cum plebe eius, & iterū, laudate omnes gentes Dominū, & magnificate eum omnes populi, & rursus Esaias ait, erit radix Iesse, & qui exurget regere gētes, in eum gentes sperabunt. Percunctabor adhuc ampliū, audis ne communionem habere nos cum ecclesijs omnium gentium, & omnium gentium ecclesias habere communionem nobiscum? non interrogabo, vtrum vos omnes ecclesia gentium anathematizant, quia non mirabor, si neges, quis enim sponte testimonium in se dicit? sed nostrā cum omnibus, & omnium nobiscum vbiq; terrarum esse cōmunionem, quomodo negare potes, quod omnes vident, audiunt, sciunt, loquuntur? Nostra igitur ecclesia, cuius fides per vniuersum mundum predicata est, cui Pontifex Rom. praest, regnum Christi est. Videamus nunc an in hac ecclesia, & regno Christi sit imago regni Christi, quod in calo est. vtrūgebo etiā meas percunctationes, credis esse baptismum regenerationis in ea, an non? & hoc concedes, nostra enim ecclesia formam baptizandi, quam S. Apostoli tradiderunt, tenet, & seruat. Quero igitur, induimus Christum nunc in baptismo sacramento visibili, & resurgimus, & adoptamur in filios Dei, &

immor-

Quomodo  
Antonius  
verbo regni  
pontificij  
insidiosè ad  
decipiendū  
vritur.

Quibus in-  
terrogatio-  
nibus fre-  
quēter mo-  
re Socratico  
repetitis de-  
ducitur An-  
toni ad dā-  
dum regnū  
Christi in  
ecclesia no-  
stra, quod  
sit caelestis  
regni ima-  
go.

Quomodo  
in nostra ec-  
clesia est re-  
gnum Chri-  
sti, & in hac  
ecclesia, &  
hoc regno  
Christi est  
imago cele-  
stis regni.

Quomodo  
blasphemus  
est Anro-  
nius, & Pau-  
li scripturam  
negat, vt  
antea de-  
monstratum  
est, cum fe-  
gnum Pon-  
tificium, &  
sic inuidio-  
se vocat, ne-  
gat esse ima-  
ginem cele-  
stis.

immortales efficiemur, sicut induemur, resurgemus, adoptabimur, & immortales in futuro seculo efficiemur? minimè respondebis. hac enim per fidem, & typo, & secundum spem fiunt, in futuro autem seculo re & veritate, cum similes erimus ei. est igitur in hi imago rerum futurarum. Similiter concedes esse in hac Ecclesia, & regno Christi non quidem Christum sicut est in celo sine velo, & imagine, sed cum imagine: habet igitur hoc nostrum regnum, quod est Ecclesia Catholica, que sub omni celo est, imaginem earum rerum, qua in regno Christi in celo sunt. Cum igitur ais regnum Pontificium, quod ita vocas ad decipiendum simplices, & ad commonendum pontifici inuidiam, non esse imaginem regni Christi scilicet in celo, blasphemus, & Pauli scripturam negas, vt antea copiose demonstraui. Sequitur posterior ἀντιπασις. sic enim vocas. Visibile, in-  
quis, Dauidis regnum in Iudæa fuit, & typus regni Christi, vt constat ex verbis angeli Luc. i. à Turriano citatis. Vt autem priscis illis temporibus imperatores Romani Iudæam occuparunt, & terrenum Dauidis regnum ad se traxerunt, atque etiam præfectus Romanus ex sede iudiciali per vim & nefas vsurpata Christum verum Dauidem condemnauit, & in crucem egit: ita nouissimis temporibus Romani Pontifices Ecclesiam, quantum in ipsis fuit, occuparunt, regnum que Christi ad se transferre voluerunt, & ex illa fede, quam præter ius fasque vsurparunt, puram Euangelij doctrinam, & eius professores, id est, Christum ipsum quotidie damnant, & modis omnibus excrucianos curant. Qui sunt isti Pontifices, quos dicis, qui Ecclesiam, quantum in ipsis fuit, occuparunt? responde,

Quo Ant-  
onius cauilla-  
tur metien-  
do.

Quo si eccle-  
sia, in qua  
est doctrina  
Lutheri, re-  
gnum Christi  
est, con-  
sequens est,  
vt regnum  
Christi in  
terra interi-  
tū ceperit,  
& falsa sint  
Prophecia  
de eo ipso  
regno.

quando occupare ceperunt? & qui prius ante eos iuste possidebant? qui doctrinam vestram puram ante istos, quos occupasse dicis, per omnes Ecclesias docebant? aut quando vos docere cepistis? nunquid ante Lutherum fuit Lutherus? aut potestis probare, sicut Lutherus primus in Germania docuit, sic ab initio omnes Ecclesias mundi accepisse & docuisse? tam obtusos putas tuos, Antoni, vt non facile intelligant, te cauillando mentiri? & mentiendo cauillari? si prius quam nostra, fuit doctrina Confessionistarum tanquam pura & integra, qualem SS. Apostoli docuerunt, doce in quibus Ecclesijs per cunctum orbem extra Germaniam, cōseruata est? si enim in nullis est, quia omnes Ecclesia doctrinam Lutheri anathematizant, & Ecclesia, in qua est Lutheri doctrina, est regnum Christi in terra igitur regnum Christi in vniuersa terra, excepta Germania, interitū cepit. Et illa scriptura ac pphetia, quas pauld ante commemorauit ab apost. citatas, et expositas de ecclesia omnium gentium, que regnum Christi est, falsa erunt. verū hanc tuā ἀντιπασις quomodo Illustris, & potentis. D. tuus Landgravius possit refellere, & mendacia tua sine vllis etiā scripturis, sed iudicio tantum, et

ratione naturali redarguere, & convincere, quia docui per epistolam nuper editam, non ero longior in confutatione huius tue monstruosa & triplicis, quam sis subuersus, & proprio iudicio cōdemnatus, satis apertè demonstrat, & vnde etiam tam acerbum, & iniueratum vobis in Pōtiffices Romanos odium, quia ex illa, inquis, sede, quam præter ius fasq; vsurparunt, puram Euangelij doctrinam, & eius professores, id est, Christum ipsam quotidie damnant; & modis omnibus excruciantos curant. hinc dolor, & lachryma, Christum ipsum audes vocare primum tuæ istius puræ doctrinæ professorem Martinum Lutherū heresiarcham, apostatā, & sacrilegum propter incestas nuptias virginis Deo cōsecratæ, ex monasterio nimicēsi raptæ. Omnipurum, & blasphemum os, si Christum ipsum damnat Ecclesia Romana, eam doctrinam, quam Lutherus peperit, damnat, omnes Ecclesia, quæ ubique sunt, Christum damnant. Perijt igitur Ecclesia per vniuersam terram diffusa, ubique amissa est fides, præterquam in synagogis Lutheri. Succurrite Protestantes, ne hereditatem suam amittat Christus. Postremo, quia nihil solidi nosser antiphantes reperire potest, quod obijciat, tendiculas cauillationum vndecunq; aucupatur. Obijcit mihi quod nō dubitauerim primatum Pontificum Romanorum, regnum Romanorū appellare. Respondendum etiam est ad hoc, ne quid prætermisum sit, & ne aliquid suis contra nos dixisse videatur, immo se potius arguisse. Videamus igitur quid Clemens Romanus apostolorum discipulus libro 5. de constitutionibus Apostolorum scripserit, etsi tu Antoni, quia tanta antiquitatis auctoritate hic auctor frangit, nescies, quo te vertas, nisi ad negandum eum. Hunc item Daniel dicit esse filium hominis venientem ad Patrem, & omnem iudicij potestatem, & omnem honorem ab eo accipientem: Item lapidem ex monte sine manibus excisum, & factum ingentē montem, qui cunctam terram repleuit, dominatum multorum, & multitudinem decorum confringentem, vnum Deum pradicantem, & Romanorum monarchiam eligentem. Hactenus Clemens. Hunc locum copiosè interpretatus sum in meis in eundem Clementem notationibus nuper editis: transcribam huc, quæ illic scripsi, (etsi molestum mihi est) propter eos, qui illos libros Clementis scholijs, & explanationibus locorū obscuriorū à me illustratos non habent, aut non viderunt. Sic enim scripsi, ecce Apostolica doctrina, quæ interpretatur ad conuincendos Protestantes, quādo, & quomodo impletū est, quod angelus dixit virgini de Iesu, & dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius. Hoc enim promiserat Deus David regi de filio Salomone inquis, & firmabo regnum eius, & stabilitiam thronum eius vsque in sempiternum. Impletum est ergo hoc in regno Ecclesie. hoc enim est regnum Christi non temporale, sed spirituale, quia huius regni non solum in corpora est potestas, sed etiam in animas, quæ est potestas de celo datæ, sicut ipse Dominus Pilato dixit, regnum meum nō est de hoc mundo.

Quomodo Antonius Lutherum heresiarchā apostatā, & sacrilegum ore blasphemio aude facere Christum.

Quale sit, quod Antonius accusat, non dubitasse me primatū Romanorū Pontificum, regnum Romanorum appellare. Quomodo Antonius fractus à Clemente Romano auctoritate apostolicæ antiquitatis nesciet quo se vertat nisi ad negandum cum.



Ecclesiam  
Catholicā  
esse monar-  
chiā Christi  
quā elegit,  
& in qua  
monarchiā  
ordinauit.  
Nō decessit  
vt Christus  
in hac mo-  
narchia vi-  
sibiliter re-  
gnaret, sed  
vicarij eius,  
qui sunt pri-  
mas beatus  
Petrus  
Quz dica-  
tur monar-  
chia in Ec-  
clesia, & qz  
monarcha.  
Quomodo  
qui negant  
visibilem  
monarchiā  
à Christo  
Ecclesie,  
Catholicā  
quā regnū  
spirituale  
est, preposi-  
tum, hi non  
possunt o-  
stendere  
completam  
esse promul-  
sionem fa-  
ctam David  
regi de re-  
gno Christi  
spirituali in  
terra perpe-  
tuando, &  
in calum  
transfere-  
do, quia nūc  
Christum  
nō videmus  
oculis cor-  
poris in  
terra

Hoc, inquam, est regnum quod Christus regnat in terris de calo secundum hu-  
manitatem, in quod transtulit regnum David terrenum. Hac est monarchia  
Romanorum, id est, Ecclesie Catholica Romana, cuius fides, vt apostolus testa-  
tus est, annunciat in vniuerso mundo, quam monarchiam elegit Christus, vt  
hic ait Apostolica doctrina. Quod si Ecclesia Catholica est monarchia Christi,  
qua visibilis est, ergo elegit Christus in ea monarchiam, qui esset quoque visibilis.  
Natura enim ipsa docet nos, quod si quis in loco aliquo regnare vult, vbi nō est  
per se visibiliter versaturus, necesse est, vt aliquē constituat, in quo, & per quem  
visibiliter regnet, & nō tantum inuisibiliter. Christus igitur quia noluit regna-  
re visibiliter in hoc regno, quia neque decebat, oportebat vt eligeret, qui loco in-  
uisibilis monarchia monarchiam visibilem visibiliter gereret, qui fuit primus B.  
Petrus, cui commisit, vt vniuersas mundi oues pasceret, cum ei dixit, pascere oues  
meas. Sic enim omnes interpretes, & doctores sancti, Græci, & Latini semper  
intellexerunt, et interpretati sunt. Nec vllum vnquam veterem auctorem Ca-  
tholicum, qui aliter intelligeret, aut interpretaretur, Protestantium magistri,  
& scriptores producere potuerunt, nec vnquam poterunt. Cura itaque omnium  
ouium, & potestas in eas, monarchia est, & dicitur; & monarcha, qui huic cu-  
ra preest, & hanc potestatem à Christo monarcha inuisibili, & omnipotente  
accepit. Quem qui negat, hi quidem completam esse promissionem Dei factam  
David regi, & per angelum virgini nunciatam, & denuo confirmatam de spi-  
rituali regno Christi in terra perpetuando, & in calum tandem in æternum  
transfereudo, ostendere non possunt. Quia Christum monarchiam nunc non vi-  
demus in carne a Hinc B. Epiphanius in heresi 29. contra Nazareos preclare de  
hoc regno Christi differens, ad extremum sedet, inquit, super thronum David,  
cuius regnum transtulit, & ipsum vna cum summo sacerdotio seruis suis, sum-  
mis Pontificibus Ecclesia Catholica largitus est. Quod si de singulis Episcopis  
interpretari volunt Protestantes, & hos vocari hic summos Pontifices, ac sum-  
mos sacerdotes, vt interdum vocari solent; ne sic quidem possunt monarchiam  
subterfugere. Etenim si quisque Episcopus in sua diocesi monarcha est, & tot  
sunt monarchie, quot episcopatus, & Episcopus Romanus aut non habet in Ec-  
clesiis aliorum episcoporum potestatem; aut habet in singulas, sed non in omnes  
simul, id est, non in vniuersam Ecclesiam, quæ ex singulis omnibus constat; non  
debit dicere apostolica doctrina elegisse Christum monarchiam Romanorum,  
sed Polyarchiam: at non sic dixit, sed potius Polyarchiā ait fregisse, & monar-  
chiam constituisse. Vbi enim non est monarchia, quid est aliud polyarchia, quæ  
corpus, vel potius monstrum multorum capitum? adde etiam huc, quod antea

noti

a Quomodo sanctus Epiphanius de regno Christi in Ecclesia differuerit.

non obseruaueram. Ipsum uerbum  $\chi\epsilon\pi\omicron\tau\omicron\upsilon\epsilon\upsilon$ , quod hic ad monarchiam retulit apostolica doctrina, satis declarat unum monarcham electum fuisse in hac monarchia.  $\chi\epsilon\pi\omicron\tau\omicron\upsilon\epsilon\upsilon$  enim in personam propriam cadit. Adiuxi postea illic, quod ad respondendum tibi Antoni pertinet. Hinc quoque B. Ambrosius libro 2. de uocatione gentium cap. 6. sic ait de hac monarchia Ecclesia Catholica Romana comparans eam cum monarchia illa terrena, & ethnica Romanorum, quam Deus non elegit. Quamuis, inquit, gratia Christiana non contenta sit eosdem limites habere, quos Roma, multosque iam populorum scepro crucis Christi illa subdidit, quos armis suis ista non domuit. Deinde subiungit, quae tamen, si licet Roma, Apostolici sacerdotij principatu amplior facta est arce religionis, quam solio potestatis. En Antoni, quam Apostolica doctrina monarchiam Romanorum uocat, & à Christo electam dicit, B. Ambr. uocat principatum Apostolici sacerdotij, quo Romam dicit magis amplificatam secundum religionem, quam secundum potentiam saeculi. Tertullianus quoque, in libro ad Scapulam imperium Christianorum, id est, monarchiam Ecclesiae Catholicae Romanae, uocat imperium Romanum, quod tandiu, inquit, stabit, quoadiu saeculum stabit. Desine igitur Antoni dicere, A deo, ut Turrianus non dubitauerit Pontificum primatum regnum Romanorum appellare. Quinimmo quia Turrianus auctor ignotus & obscurus est, & quia resueta nullius existimationis, scribere potius, a deo, ut Ambrosius monarchiam Romanorum non dubitauerit principatum Apostolici sacerdotij appellare. (Primatū enim Romani Pontificis intellexit) & Tertull. monarchiam Ecclesiae Catholicae imperium Romanorum, quod stabit, inquit, quandiu saeculum stabit; monarchiam enim Ecclesiae adificauit Christus super Petrum, & aduersus monarchiam Ecclesiae promisit non praeualituras portas inferi, non autem aduersus imperium saeculare Romanorum, sicut hactenus non praeualuerunt. Hactenus in caput octauum. Sequitur, ut caput 9. aggrediamur.

## Locus Nonus Esaiæ 59.

Hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus: spiritus meus, qui est in te, & uerba mea. quae posui in ore tuo, non discedent ab ore tuo, & ab ore seminis tui, & ab ore seminis seminis tui, dicit Dominus ex nunc, & in saeculum.

## Sophisma Turriani.

De Christo & Apostolis eius propheta, semen enim Christi uocat Apostolos, semen autem seminis uocat Apostolorum successores; ergo ad tradendam, & conseruandam Christi doctrinam, & sermones eius, necessaria est secundum euangelium ordinaria successio Apostolorum. Non autem alligamus Ecclesiam ad certas personas in ordinaria successione constitutas, sed potius Christus Ecclesiam sponsam suam huiusmodi successione Episcoporum usque ad finem saeculi

Quo uerba  
 $\chi\epsilon\pi\omicron\tau\omicron\upsilon\epsilon\upsilon$   
quod uerba est  
apostolica  
constitutio  
satis decia-  
rat electum  
esse à Chri-  
sto monar-  
cham in ec-  
clesia, quia  
 $\chi\epsilon\pi\omicron\tau\omicron\upsilon\epsilon\upsilon$ ,  
id est, ordi-  
natio in per-  
sonam cadit.  
Quomodo  
imperium  
spirituale  
Christianorū  
Ambrosius  
princi-  
patū aposto-  
lici sacerdo-  
tij uocat,  
Tertul. im-  
perium Ro-  
manū, con-  
stitutio A-  
post. monar-  
chiam Ro-  
manorum  
à Christo  
electam.